

**Explico.** Cum sensus communis omnia sensibilia percipiat et inter ea discernat, necessario debet in ea ferri, secundum unam communem rationem, cum omnis facultas habeat unum per se obiectum formale. Iam vero hanc communem rationem nullus ex propriis sensibus attingere potest, ideoque sensus communis est potentia diversa a sensibus propriis. Ex adverso in simplicem acceptionem intelligibilis veritatis ratio pertingit, sicut ad suum terminum, statim ac discursus rationis in scientia concluditur, ideoque non est necesse, ut intellectus sit alia facultas a ratione.

**Oppon.** 3.<sup>o</sup> Differentia praeteriti et praesentis in obiecto cognitionis sensitivae causat in parte sensitiva diversitatem facultatum. Atqui etiam intellectus apprehendit differentiam temporis. Ergo etiam in parte intellectiva est diversa facultas, quae cognoscit obiectum praesens, ab ea quae cognoscit praeteritum.

**Resp. Dist. mai.** Differentia temporis causat diversitatem in facultate sensitiva, quia tempus est de ratione obiecti sensibilis, *Conc.* Quia tempus per accidens se habet ad obiectum sensibile, *Neg. Dist. min.* Intellectus apprehendit differentiam temporis, quae per accidens se habet ad suum obiectum, *Conc.* Quae ingreditur rationem sui obiecti, *Neg.* et *Neg. cons.*

**Explico.** Solutio ex superius explicatis in promptu est. Cum sensus apprehendat singulare determinatum ad *hic* et *nunc*, differentia temporis et loci ingreditur quodammodo rationem obiecti. Contra ea cum proprium obiectum intellectus sit universale, quod absolvitur a tempore, differentia temporis minime potest esse de ratione obiecti intelligibilis; ideoque si ab intellectu aliquo modo attingitur, erit semper aliquid, quod per accidens se habet ad obiectum proprium intellectus.



## QUAESTIO VI.

*De potentis appetitivis animae.*

**RERUM NEXUS ET CONTINUATIO.** Cum a nobis satis explicatae sint quaestiones, quae spectant ad virtutes cognoscitivas animae humanae, et ad proprias earumdem operationes, antequam huic tractationi finem imponamus, aliquid dicendum venit de facultatibus appetitivis, quae apprehensivas necessaria consecutione excipiunt. Iam vero appetere nihil aliud est nisi aliquid petere, seu ad aliquid tendere, tamquam ad proprium finem, idest tamquam ad aliquid sibi conveniens, quod dicitur *bonum*. Qua de re finis dici solet *bonum cuius gratia aliquid fit*; et bonum ex eo declaratur, quod sit aliquid appetibile, iuxta illud: *Bonum est quod omnia appetunt* (1).

Siquidem Deus sapientissimus rerum omnium Artifex, cuncta quae molitus est, ad aliquem finem direxit, universisque rebus inclinationem quamdam erga proprium cuiusque finem impertit, quae inclinatio dici solet appetitus seu tendentia in finem, cum sine ea res minime posset dici intrinsece ordinata in finem. Tendentia haec, quae communis est rebus omnibus, non differt quidquam ab ipsa rei essentia seu natura; ideoque dicitur *appetitus naturalis* consequens formam naturalem, sive talis forma sit in genere substantiae, sive sit in genere accidentis. Verum enim quandoque inclinatio consequitur formam per virtutem cognoscitivam apprehensam; sicut quando animal cognoscit per sensus cibum naturae suae accommodatum, et illum appetit, et ad illum movetur. In hoc casu appetitus nuncupatur *animalis*, qui iterum discernitur in sensitivum et intellectivum prouti consequitur cognitionem vel sensilem vel intellectivam. Uterque autem appetitus animalis dici etiam solet *elicitus* vel *elicivus* quia est facultas eliciens actum appetendi realiter distincta a facultate, quae eam ad appetendum movet.

Appetitus ergo seu tendentia in finem tripartitam habet divisionem, et tria nomina sibi vindicat. Si inclinatio in finem consequitur formam naturalem et physicam, tunc appellatur appetitus naturalis seu simpliciter *appetitus*. Si inclinatio consequitur formam intentionalem apprehensam per sensum, tunc dicitur appetitus sensitivus vel *instinctus*. Si demum inclinatio consequitur formam intentionalem apprehensam per intellectum, tunc dicitur appetitus rationalis, vel *volutas*.

(1) Cf. ARIST. *Ethic.* lib. I, cap. I.



Primus appetitus non differt ab ipsa natura rei; secundus et tertius sunt facultates secundum rem et veritatem distinctae ab eo, quod ipsas ad appetendum inclinat. In praesenti controversia agendum nobis erit de appetitu elicito, nempe de illa appetendi facultate, quae reperitur in cognoscentibus, ideoque in anima sensitiva et intellectiva (1).

## ARTICULUS I.

## AN APPETITUS SIT SPECIALIS POTENTIA ANIMAE.

**QUAESTIO DETERMINATUR.** Omnes res, quae a natura ortum ducunt, inclinantur ad proprios fines, quos agendo et patiendo consequi gestiunt. In naturis cognitione carentibus haec inclinatio, quae non differt ab ipsa rei substantia et potentiis agendi, cum a forma naturali oritur, est omnino determinata ad unum. In naturis vero cognitione pollentibus, praeter hunc appetitum corporibus inanimis et viventibus vegetalibus communem, datur etiam inclinatio ad bonum apprehensum sive per sensum sive per intellectum. De hoc ergo appetitu quaeritur: 1) utrum sit potentia realiter distincta tum a natura animalis, tum ab aliis potentiis, quae vigent in animalibus, et 2) utrum in animalibus cognitione sensitiva simul et intellectiva praeditis, duplex etiam sit potentia appetitiva realiter distincta, quarum altera consequatur cognitionem sensilem, altera intellectivam. Antequam gemino huic problemati satisfaciamus, quaedam praenotanda occurrunt.

**Appetitus animalis**, qui etiam dicitur *elicitus* definitur solet: *Inclinatio seu motus animalis ergo bonum apprehensum*. Secernitur in *sensitivum* et *intellectivum*, secundum quod bonum seu res convenientis animalis apprehenditur per sensum vel intellectum. Facultas appetitiva sensibilis iterum dividitur in *concupiscibilem* et *irascibilem*. Appetitus concupiscibilis dicitur ille, per quem animal simpliciter inclinatur ad ea prosequenda, quae sunt convenientia secundum sensum, et ad vitanda nociva. Contra appetitus irascibilis est ille per quem animal resistit contrariis, nempe iis, quae convenientia impugnant, et nociva inferunt.

Quare appetitus irascibilis, qui ex concupiscibili oritur, est quasi propugnator concupiscibilis, quia insurgit contra ea, quae impediunt convenientia, quae concupiscibilis appetit, et ingerunt nociva, quae concupiscibilis aspernatur. Et propter hoc, uti notat Angelicus, omnes passiones irascibilis incipiunt a passionibus concupiscibilis, et in eas

(1) De tota hac questione cf. S. THOM. 1 p. q. 80, 81, 82, 83.

terminantur; sicut ira nascitur ex illata tristitia, et cum vindictam intulerit, terminatur in laetitiam. Propter eandem rationem pugnae animalium sunt de concupiscibilibus (1).

## PROPOSITIO.

*In anima humana adstruenda est specialis potentia appetitiva realiter distincta ab aliis eius potentiis; hic autem appetitus pro duplici genere cognitionis est duplex, nempe sensitivus, et rationalis.*

**Prob. 1.<sup>a</sup> pars.** In naturis quae ornantur vi cognoscitiva datur duplex inclinatio, altera quae consequitur formam naturalem, altera quae consequitur formam apprehensam seu intentionalem. Atqui haec duplex inclinatio explicari non potest, nisi adstruatur appetitus animalis realiter distinctus a ceteris virtutibus animae. Ergo in anima humana admittenda est specialis quaedam potentia appetitiva realiter distincta a reliquis animae potentiis.

**Arg. evol.** Quaelibet forma, quae ad aliquid ordinata est tamquam ad finem et bonum sibi conveniens, ad illud bonum naturaliter inclinatur; nam praecise in hoc ordinatio illa naturalis consistit; ideoque ubi duplex est forma genere diversa, ibi duplex est inclinatio. Quod autem inclinatio consequens formam apprehensam sit specialis potentia quae non possit confundi cum naturali inclinatione ceterarum potentialiarum, hoc multifariam manifestum est; tum ex eo quod saepe fertur in bonum apparens, secus ac naturalis inclinatio; tum ex eo quod hic appetitus est causa motrix aliarum potentialiarum, quas ad diversa inclinat; et sic appetitus cibi in animali movet ad hunc potius, quam ad illum locum virtutem locomotricem; tum denique quia non raro appetitus animalis aliquid imperat contra naturalem inclinationem ceterarum potentialiarum; et si appetitus est duplex, uti concupiscibilis et irascibilis, vel irrationalis et rationalis, unus coerceret et regitur ab alio, et sic animal propter appetitum vindictae cohibet ac coercet appetitum cibi. Paucis. Forma in habentibus cognitionem nobilior perfectiorque est, quam in iis quae cognitione carent. Ergo in cognoscentibus datur appetitus aliquis prorsus diversus ab appetitu naturali, qui in aliis invenitur.

Ratio a nobis proxime explanata ita illustratur a S. Thoma: «Forma in his, quae cognitionem participant, altiori modo invenitur, quam in his, quae cognitione carent. In his enim quae cognitione carent, invenitur tantummodo forma ad unum esse proprium determinans unumquodque, quod etiam naturale uniuscuiusque est. Hanc igitur formam

(1) Cur in appetitu intellectivo non detur duplex facultas realiter distincta, nempe concupiscibilis, et irascibilis, explicatur a S. THOM. 1 p. q. 82, a. 5.



naturalem sequitur naturalis inclinatio, quae appetitus naturalis vocatur. In habentibus autem cognitionem sic determinatur unumquodque ad proprium esse naturale per formam naturalem, quod tamen est receptivum specierum aliarum rerum... Sicut igitur formae altiori modo existunt in habentibus cognitionem supra modum formarum naturalium; ita oportet quod in eis sit inclinatio supra modum inclinationis naturalis... Et haec superior inclinatio pertinet ad vim animae appetitivam, per quam animal appetere potest ea, quae apprehendit, non solum ea, ad quae inclinatur naturaliter » (1).

Prob. 2.<sup>a</sup> pars, nimirum appetitus sensitivus esse diversum ab appetitu intellectivo, qui proprio nomine dicitur *voluntas*. Res ita effici concludique potest. Potentia appetitiva est potentia passiva, quae movetur et actuatur ab appetibili apprehenso, tanquam a proprio activo et motivo. Atqui appetibile apprehensum per intellectum est genere diversum ab appetibili cognito per sensum. Ergo, cum potentiae passivae discriminentur per proprium activum et obiectum motivum, appetitus sensitivus differens prorsus est ab appetitu intellectivo (2). Nimirum virtus appetitiva sequitur apprehensivam in qua radicem habet. Sed in homine est duplex potentia cognoscitiva essentialiter diversa, idest sensitiva, et intellectiva. Ergo in ipso duplex etiam admittendus est appetitus essentialiter diversus, nempe sensitivus, et intellectivus: « Quaedam, ait S. Thomas, inclinatur ad bonum cum aliqua cognitione; non quidem sic quod cognoscat ipsam rationem boni; sed cognoscunt aliquid bonum particulare, sicut sensus qui cognoscit dulce et album. Inclinatio haec dicitur appetitus sensitivus. Quaedam vero inclinatur ad bonum cum cognitione, qua cognoscunt ipsam rationem boni, quod est proprium intellectus; et haec perfectissime inclinatur in bonum, non ab alio directa, sicut quae cognitione caret, neque in bonum particulariter tantum, sicut ea quibus est sola cognitio sensitiva; sed in ipsum bonum universale; et haec inclinatio dicitur voluntas » (3).

Memoratum mox veritatem bellissime efficit S. Thomas, cuius nobilissima ratio sic proponi potest. Cum ad infinitam Dei gloriosi perfectionem pertineat ut omnia moveat, inclinet, et dirigat, cum ipse a nullo motus, inclinatus, et directus sit, quanto aliqua natura Deo propinquior est, tanto minus ab eo inclinatur, et magis nata est se ipsam inclinare, cum expressiorem divinae bonitatis similitudinem gerat. Iam vero natura insensibilis, quae a Deo maxime remota est, ita inclinatur in finem, ut in ipsa sit inclinationis principium, non autem aliquid ipsam inclinans. Natura sensitiva, quae praestantior est

(1) I p. q. 80, a. 1; cf. *QQ. DD. De ver. q. 22, a. 3.*

(2) Cf. S. THOM. I p. q. 80, a. 2.

(3) I p. q. 59, a. 1.

Deoque propinquior, in se habet aliquid inclinans, nempe appetibile apprehensum; verum eius inclinatio non est in potestate animalis quod inclinatur, sed ipsi aliunde determinatur; ideoque animal ad cognitionem delectabilis non potest illud non concupiscere, cum non habeat dominium suae inclinationis. Demum natura rationalis, quae ad divinam perfectionem maxime accedit, non solum in se completur inclinationem in aliquid, et movens inclinationem ab alio determinatam; sed ulterius *habet in sua potestate ipsam inclinationem* ut ipsi non sit necessarium inclinari ad appetibile apprehensum, cum possit inclinari vel non inclinari, ideoque ipsa inclinatio non determinatur ei ab alio, et sic recedit a natura mobilis, et *accedit ad naturam moventis et agentis*. Quoniam vero determinare sibi inclinationem in finem competere nequeat nisi cognoscentibus finem et habitudinem mediorum ad finem, quod unius rationis proprium est, patet, appetitum non determinatum necessario ex aliquo alio sequi apprehensionem rationis, et consequenter appetitum rationalem esse aliam potentiam ab appetitu sensitivo (1).

**SCHOLION.** Potentiae appetitivae oriuntur ex apprehensivis. Ex his quae mox disputavimus, satis manifestum fit, specialem potentiam quae dicitur appetitus animalis seu elicitus oriri in nobis ex virtute cognoscitiva, et proprium obiectum huiusmodi appetitus esse *bonum apprehensum*. Cognoscentia quippe praeter suas formas naturales et physicas, quibus in suo esse constituuntur, per cognitionem transferunt in se ceterarum rerum formas, quas vitaliter in se exprimunt. Ex his formis vitaliter receptis resultat naturalis quaedam tendentia vel inclinatio erga rem cognitam. Nam res cognita saepe apprehenditur per cognitionem non ut bonum ipsius facultatis apprehensivae, sed subiecti cognoscentis respectu alterius potentiae, quae realem possessionem rei cognitae expostulat. In hoc casu evidenter cognitio efficit in cognoscente inclinationem ad realem possessionem rei apprehensae. Sic qui sanitatem vel cibum cognoscit, non sinit in cognoscitiva apprehensione talium rerum; sed possessionem realem prosequitur, et affectat. Ergo praeter inclinationem naturalem potentiae cognoscitivae erga proprium cognoscibile, admittenda est in cognoscente alia tendentia et facultas appetitiva rei apprehensae, si res fuerit cognita ut conveniens cognoscenti. Si haec specialis facultas non daretur, animal cognoscens cibum ut bonum se accommodatum sibi, remaneret indifferens, neque ad illum capiendum moveretur.

Cum autem appetitus naturalis inclinet ad bonum, quod est in re, et ex adverso appetitus animalis tendat ad bonum apprehensum, ex hoc rite consequitur, primum semper prosequi bonum reale; alte-

(1) Cf. S. THOM. *QQ. DD. De ver. q. 22, a. 4.*



rum ferri posse in bonum apparens et commenticum. Huiusmodi differentiam sic notavit Aquinas noster: « Sicut... id in quod tendit appetitus naturalis est *bonum existens in re*, ita id in quod tendit appetitus animalis vel voluntarius est *bonum apprehensum*. Ad hoc igitur quod voluntas in aliquid tendat, non requiritur, quod sit bonum in rei veritate, sed quod apprehendatur in ratione boni » (1).

## SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

**Oppon. 1.<sup>o</sup>** Appetere est commune tum animatis praeditis cognitione, tum aliis; nam bonum est quod omnia appetunt. Iam vero si appetitus in omnibus invenitur, non est cur admittatur in anima specialis potentia appetens. Ergo.

**Resp. Dist. mai.** Appetitus invenitur in animalibus et in aliis, eodem modo, *Neg.* Invenitur in animalibus modo perfectiori, ac in aliis, *Conc. Contradist. min. et Neg. cons.*

**Explico.** Solutio in promptu est ex superius disputatis: nam in animatis cognoscentibus propter naturam nobiliorem qua pollent, invenitur duplex appetitus vel inclinatio ad bonum; altera communis omnibus omnino rebus, altera animatorum propria, quae tendit in bonum cognitum, nempe in aliquid apprehensum ut conveniens cognoscenti. Haec inclinatio nuncupatur appetitus animalis, et est specialis potentia, quae invenitur in cognoscentibus. Immo, si acute res consideretur, in ipsa potentia appetitiva animantium discerni seorsim potest duplex inclinatio, nempe naturalis et animalis. Per primam enim tendit ut quaevis alia potentia in proprium actum, tamquam in suam naturalem perfectionem; per secundum tendit actu suo ad bonum per cognitionem apprehensum.

**Oppon. 2.<sup>o</sup>** Facultates distinguuntur per obiecta. Atqui idem est quod cognoscimus et appetimus. Ergo in cognoscentibus non datur specialis potentia appetitiva, quae sit distincta ab apprehensiva.

**Resp. Dist. mai.** Facultates distinguuntur per obiecta materialia, *Neg.* Per obiecta formalia, *Conc. Contradist. min.* Id quod cognoscimus et appetimus, est idem subiecto, *Conc.* Est idem ratione, *Neg. et Neg. cons.*

**Explico.** In difficultate confunditur obiectum materiale cum obiecto formali facultatis, nempe cum illa ratione, sub qua aliqua facultas rem attingit. Porro potentiae non distinguuntur per obiecta materialia, cum eadem res possit esse obiectum materiale diversarum facultatum; sed per obiecta formalia. Recte ergo S. Thomas propositae difficultati sic occurrit: « Id quod apprehenditur et appetitur, est idem subiecto, sed differt ratione. Apprehenditur enim ut ens sensi-

(1) 1-2, q. 8, a. 1.

bile vel intelligibile; appetitur vero ut est conveniens aut bonum. Diversitas autem rationum in obiectis requiritur ad diversitatem potentiarum, non autem materialis diversitas » (1).

**Oppon. 3.<sup>o</sup>** Appetitus nihil aliud est nisi directio in finem. Atqui res omnes per appetitum naturalem diriguntur in finem. Ergo redundat appetitus animalis, qui sit specialis potentia animae.

**Resp. Dist. mai.** Appetitus est directio in finem uniusmodi, *Neg.* Est directio in finem, per quam diversimode secundum diversas naturas res diriguntur, *Conc. Contradist. min.* Appetitus naturalis sufficit pro directione eorum, quae cognitione carent, *Conc.* Pro naturis cognoscentibus, *Neg. et Neg. cons.*

**Explico.** Cum animalia divinam perfectionem eminentius participant, quam naturae expertes cognitionis, pluribus operationibus auxiliisque ad sui conservationem perfectionemque indigent, quam substantiae inferiores. Quocirca eo quod naturalis appetitus est uniusmodi et ad unum determinatus, non potest ad omnia se extendere, quae necessaria sunt animali; ideoque necesse fuit, ut animali adderetur appetitus elicitus qui cognitionem consequitur. Hinc in quolibet appetitu est directio in finem, sed in hoc vel illo appetitu est haec vel illa directio in finem; et sic efflorescit diversitas appetitus naturalis, sensitivi, et intellectivi (2).

**Oppon. 4.<sup>o</sup>** Appetitus est de rebus non habitis. Atqui in animalibus per cognitionem iam habetur bonum. Ergo in animalibus non est specialis potentia appetitiva consequens cognitionem.

**Resp. Dist. mai.** Appetitus est de rebus non habitis secundum esse reale, *Conc.* Secundum esse intentionale, *Neg. Contradist. min.* In animalibus per cognitionem possidetur bonum secundum esse reale, *Neg.* Secundum esse intentionale, *Conc. et Neg. cons.*

**Explico.** Licet distinctio a nobis proposita difficultatem manifeste enodet, tamen placet subiicere verba S. Thomae sic rem explicantis: « Appetens bonum non quaerit habere bonum secundum esse intentionale qualiter a cognoscente habetur, sed secundum esse essentiale: et ideo per hoc quod animal habet bonum ut cognosceat ipsum, non excluditur, quin possit ipsum appetere » (3).

**Oppon. 5.<sup>o</sup>** Appetere bonum est commune omnibus animae potentis. Atqui si omnes potentiae in hoc communicant, quod bonum appetant, minime datur specialis potentia appetitiva. Ergo appetitus non est specialis potentia.

**Resp. Dist. mai.** Appetere bonum appetitu naturali est commune omnibus potentis, *Conc.* Appetitu animali et elicitu, *Neg.*

(1) 1 p. q. 80, a. 1 ad 2.

(2) Cf. S. THOM. QQ. DD. De ver. q. 22, a. 3 ad 2.

(3) Loc. cit. ad 4.



**Explico.** Aliud est appetere aliquid bonum determinatum et particulare, et aliud est appetere omne bonum cognitum. Primum spectat ad appetitum naturalem, et invenitur in omni potentia, quae appetit suum obiectum, tanquam propriam perfectionem, et sic intellectus appetit verum. Secundum spectat ad appetitum animale, et constituit specialem potentiam, quae appetit quodcumque bonum apprehensum, sed modo quodam sibi proprio. Quare consimili difficultati sic occurrit S. Thomas: « Unaquaeque potentia animae est quaedam forma seu natura, et habet naturalem inclinationem in aliquid. Unde unaquaeque appetit obiectum sibi conveniens naturali appetitu, supra quem est appetitus animalis consequens apprehensionem, quo appetitur aliquid non ea ratione, qua est conveniens ad actum huius vel illius potentiae, utpote visio ad videndum, et auditio ad audiendum; sed quia est conveniens simpliciter animali » (1).

**Oppon. 6.<sup>o</sup>** contra secundam partem. Potentiae non diversificantur per accidentales differentias. Atqui est accidentale appetibile, ut apprehendatur per sensum vel intellectum. Ergo appetitus sensitivus et intellectivus non differunt.

**Resp. Dist. mai.** Potentiae non diversificantur per accidentales differentias, secundum quod illae differentiae sunt accidentales, *Conc.* Secundum quod sunt essentialia et per se, *Neg. Contradist. min.* Apprehensio sensitiva vel intellectiva est accidentalis appetibili, ut constituatur in esse appetibilis per appetitum sensitivum vel intellectivum, *Neg.* Ut constituatur generatim in esse appetibilis, *Conc.*

**Explico.** Ratio generica appetibilis ex postulat tantum, ut sit bonum apprehensum, ideoque et accidentale est, ut percipiatur per sensum vel per intellectum. Sed ratio specifica appetibilis per appetitum sensitivum, vel per voluntatem requirit, ut illud bonum sit apprehensum per sensum, vel per intellectum; ideoque cognitio sensus vel intellectus est differentia *per se* constituens obiectum formale appetitus sensitivi vel voluntatis; et sic, dempta cognitione intellectiva, nulla res spiritualis posset appeti, quia solus intellectus cognoscit bona spiritualia (2).

**Oppon. 7.<sup>o</sup>** Appetitus sensitivus et intellectivus feruntur in res singulares, quia est motus ab anima ad res, quae sunt singulares. Atqui sensus et intellectus distinguuntur per hoc, quod sensus sit apprehensivus singularium et intellectus universalium. Ergo appetitus sensitivus et intellectivus non differunt.

**Resp. Dist. mai.** Uterque appetitus fertur in res singulares, ita ut voluntas feratur in eas secundum aliquam rationem universalem, et iterum feratur in quasdam res, in quas appetitus sensitivus nequeat

(1) 1 p. q. 80, a. 1 ad 3.

(2) Cf. S. THOM. 1. p. q. 80, a. 2 ad 1; QQ. DD. De ver. q. 22, a. 4 ad 1.

ferri, *Conc.* Ita ut uterque appetitus feratur in easdem res singulares et sub eadem ratione particulari, *Neg. Contradist. min.* Intellectus differt a sensu solum per hoc quod intellectus sit universalium, et sensus sit singularium, *Neg.* Etiam per hoc quod intellectus per res materiales universaliter cognititas possit sese porrigere ad res spirituales cognoscendas, *Conc.* et *Neg. cons.*

**Explico.** Solutio difficultatis ex terminis distinctionis est satis manifesta. S. Thomas ipsi occurrit iniquiens: « Appetitus intellectivus etsi feratur in res, quae sunt extra animam singulares; fertur tamen in eas secundum aliquam rationem universalem, sicut cum appetit aliquid, quia est bonum. Unde Philosophus dicit, quod odium potest esse de aliquo universalis, puta cum odio habemus omne latronum genus. Similiter per appetitum intellectivum appetere possumus immaterialia bona, quae sensus non apprehendit, sicut scientiam, virtutes, et alia huiusmodi » (1).

**Cognitio et appetitio conferuntur.** Ut solutio mox propositae difficultatis melius percipiatur, non erit inutile recensere quasdam differentias inter cognitionem et appetitionem. Nam 1) cognitio fit secundum quod cognitum est in cognoscente; appetitio contra secundum quod appetens inclinatur in rem appetitam, ideoque terminus cognitionis, nempe verum est in ipso intelligente; sed terminus appetitus, idest bonum est in re appetibili (2). 2) Ratio formalis veri non anteverit, sed consequitur cognitionem; contra ratio formalis boni praesupponenda et praecognoscenda est appetitioni. 3) Inferiorum cognitio praestantior est dilectione; ex adverso superiorum dilectio nobilior est cognitione. Uti enim argumentatur S. Thomas: « Cognitio est secundum quod cognita sunt in cognoscente; amor autem secundum quod amans unitur rei amatae. Superiora autem nobiliori modo sunt in seipsis, quam in inferioribus; inferiora vero nobiliori modo sunt in superioribus, quam in seipsis. Et ideo inferiorum quidem cognitio praeminet dilectioni, superiorum autem dilectio, et praecipue Dei, praeminet cognitioni » (3).

## ARTICULUS II.

## DE APPETITU INTELLECTIVO SEU DE VOLUNTATE.

**STATUS QUAESTIONIS PROPONITUR.** Sicut appetitus sensitivus est quaedam potentia, quae inclinatur animal ad prosequendum bonum apprehensum per sensum; sic appetitus intellectivus, qui

(1) 1 p. q. 80, a. 2 ad 2.

(2) Cf. S. THOM. 1 p. q. 16, a. 1.

(3) 1 p. q. 108, a. 6 ad 3.



proprio nomine dicitur voluntas, est potentia inclinans animal rationale ad prosequendum bonum apprehensum per intellectum. Utraque igitur facultas appetitiva convenit in genere potentiae inclinantis ad prosequendum bonum cognitum; licet motus voluntatis erga bonum apprehensum per intellectum multo differentior nobiliorque sit motu appetitus sensitivi in suum obiectum. Quocirca ad penetrandam naturam proprietatesque appetitus rationalis, sedulo a nobis determinanda est ratio differentialis, secundum quam voluntas inclinatur ad suum proprium obiectum, quod est bonum cognitum intellectu.

Iam vero hoc proprium voluntatis est, ut ipsa sit domina sui actus, nempe ut proposito per intellectum suo obiecto, ipsi integrum sit illud velle, vel non velle, quod de appetitu sensitivo haudquaquam affirmari potest. Cum autem in omni potentia seu facultate, quae ab aliqua natura dimanat, sit naturalis inclinatio ad suum proprium obiectum, quae ineluctabilis est, utpote ab ipsa natura ad unum determinata; sponte sua sese offert discutienda quaestio: quodnam sit illud bonum ad quod appetendum voluntas pulsua suae naturae determinetur, id est quod velit necessario, et quodnam illud ad quod minime determinetur, ideoque quod velit libere. Qua in re agitata a nobis venit maximi momenti eademque nobilissima quaestio, quae versatur circa liberum hominis arbitrium seu humanam libertatem. Ut ordini et perspicuitati serviamus, totam controversiam in partes tribuimus, et primo agemus de actibus necessariis voluntatis, deinde de actibus liberis; cum impossibile foret voluntati aliquid libere velle, nisi prius aliquid aliud necessario vellet. Antequam ergo accedamus ad solvendam primam quaestionem, nimirum utrum voluntas aliquid necessario velit, et quid illud sit, quaedam notiones declarandae sunt.

**Multiplex necessitas.** Necessarium illud dicitur, quod non potest non esse, seu quod est determinatum ad unum. Cum autem causae rerum revocentur ad quatuor, quarum duae sunt rebus intrinsicae, duae sunt extrinsecae, essendi necessitates ortum habere potest tum ex causis intrinsicis, tum ex causis extrinsecis. Si oritur ex causis intrinsicis constitutibus naturam rei, necessitas illa dicitur absoluta et naturalis. Sic ex principio formali absolute necessarium est triangulo, ut complectatur tres angulos, pares duobus rectis. Itemque ratione principii materialis dicimus, esse necessarium, ut omne compositum ex contrariis obnoxium sit corruptioni.

Quod si essendi necessitas alicui attribuitur propter causas extrinsecas, tunc necessitas illa causatur vel ex efficiente, vel ex fine. Si ex agente causatur, tunc dicitur *necessitas coactionis* seu violentiae; puta cum aliquis ab aliquo agente ita cogitur ad aliquid efficiendum, ut non possit contrarium operari. Si autem illa necessitas causatur ex fine, tunc vocatur *necessitas suppositionis*, et habetur cum quis sine aliquo medio finem consequi nequeat. Sic cibus dicitur necessarius

ad vitae conservationem, navis ad transfretandum. Haec necessitas interdum sumitur pro utilitate; ut si quis affirmaret, equum esse necessarium ad iter faciendum. Paucis. Necessitas est 1) naturalis et absoluta, si fluit ex causis intrinsicis; est 2) coactionis seu violentiae, si oritur ex causa efficiente; est 3) suppositionis, si progignitur ex fine.

**Actus elicitus et imperati.** Cum voluntas imperio suo alias animae potentias ad operandum moveat, ut intellectum, sensum, virtutem motricem, et ita porro, actus ceterarum facultatum quadatenus attribui solent voluntati; non quia ab ipsa formaliter effecti seu elicitus, sed quia ab ipsa fuerunt imperati. Idcirco operationes a voluntate dependentes distribui solent bifariam, nimirum in actus elicitos et imperatos. Primi sunt formaliter et intrinsicè voluntarii, uti velle, eligere, amare; alii ex adverso denominantur voluntarii extrinsecus, nempe ex actibus voluntatis, quae aliam potentiam ad illos efficiendos inclinat ac moveri, ut deambulare, legere. Huius distinctionis ita meminit S. Thomas: « Hoc interest inter elicere actum, et imperare, quod habitus vel potentia elicit illum actum, quem producit circa obiectum nullo mediante: sed imperat actum qui producitur mediante potentia vel habitu inferiori circa obiectum illius potentiae » (1). Exposita diversa necessitatis ratione et assignato discrimine inter actus a voluntate elicitos et actus ab ipsa imperatos, propius accedendum est ad quaestionem solvendam, an et quae necessitas reperiri possit in actibus voluntatis.

## PROPOSITIO.

*In quibusdam actibus voluntatis admittenda est necessitas tum naturalis et absoluta, tum necessitas finis. Necessitas autem coactionis intrinsicè pugnat cum actibus a voluntate elicitis, licet attribui valeat actibus imperatis.*

**Prob. 1.<sup>a</sup> pars,** nempe, dari in quibusdam actibus voluntatis absolutam et naturalem necessitatem. Nam quidquid voluntas vult, vel vult naturali necessitate, vel per electionem. Atqui in voluntate impossibilis plane est electio, nisi voluntas aliquid prius necessario et immutabiliter voluerit. Ergo in quibusdam actibus voluntatis admittenda est naturalis necessitas. Propositio minor, quae posset alicui obscura videri, exinde clarissime elucet, quod non possit adesse electio, nisi aliquid antevertat, propter quod electio fiat; ideoque motus electionis incipere debet ab aliquo immobili et rato circa quod electio versari nequeat. Illud autem circa quod voluntas immobiliter se habet, est ultimus finis seu beatitudo. Finis quippe in operativis se habet ut

(1) 3 Sent. Dist. 27, q. 2, a. 4, sol. 3.



principium in speculativis. Sicut ergo intellectus naturaliter et necessario adhaeret primis principiis, et sic progreditur ad conclusiones intelligendas, ita voluntas necessario adhaeret ultimo fini, et ita movetur ad alia bona appetenda propter ultimum finem. Rem sic paucis et dilucide perstringit S. Thomas: «Necessitas naturalis non repugnat voluntati: quinimmo necesse est, quod sicut intellectus ex necessitate inhaeret primis principiis, ita voluntas ex necessitate inhaeret ultimo fini, qui est beatitudo. Finis enim se habet in operativis sicut principium in speculativis. Oportet enim quod illud quod naturaliter alicui convenit et immobiliter, sit fundamentum et principium omnium aliorum; quia natura rei est primum in unoquoque, et omnis motus procedit ab aliquo immobili » (1).

**Confir.** Cum voluntas sit quaedam natura, in ipsa praeter rationem propriam voluntatis, inveniri debet ratio et definitio naturae; nam in rebus ordinatis primus modus includitur in secundo. Iam vero cuiuslibet naturae creatae proprium est, ut a Deo ordinata sit in bonum, illudque naturaliter appetat. Ergo ipsi voluntati inest naturalis appetitus boni sibi convenientis; et propter hunc necessarium et naturalem appetitum potest alia appetere non ex necessitate, sed secundum propriam determinationem, quod proprium et peculiare est voluntatis, quatenus voluntas est. Quare sicut natura est principium et fundamentum voluntatis, ita quod naturaliter appetitur, est principium et fundamentum ceterorum appetibilium. In appetibilibus vero finis est principium et fundamentum eorum, quae sunt ad finem, quae non appetuntur nisi ratione finis. Unde fas est concludere, voluntatem esse naturali inclinatione, et necessario determinatam ad ultimum finem seu ad beatitudinem appetendam.

Quod autem in voluntate dentur quidam actus hypothetice necessarii, nempe ex suppositione finis, hoc est per se manifestissimum consideranti, quaedam media habere nexum necessarium cum fine, ideoque si quis vult finem, non potest non velle illa media.

**Prob. 2.<sup>a</sup>** pars, nempe in actibus elicitis voluntatis non posse dari coactionem, quae tamen possibilis est in actibus imperatis. Sicut violentum est contra inclinationem naturae, cum violentum, iuxta Philosophum (3 *Ethic.* cap. I), dicatur *cuius principium est extra, nil conferente vim passo*; ita coactum est contra inclinationem voluntatis. Vicissim sicut naturale est secundum inclinationem naturae, ita voluntarium est secundum inclinationem voluntatis. Iam vero adstruere motum quemlibet simul naturalem et violentum, est pugnantia secum loqui, quippe esset et secundum inclinationem et contra inclinationem naturae. Ergo repugnat motus aliquis simul voluntarius et coactus, quia simul esset et secundum inclinationem voluntatis, et contra incli-

(1) 1 p. q. 82, a. 1.

nationem eiusdem. Nam, quemadmodum acute notat Aquinas noster: «Cum ipsa voluntas sit quaedam inclinatio, eo quod est appetitus quidam; non potest contingere, ut voluntas aliquid velit et inclinatio eius non sit in illud; et ita non potest contingere, ut voluntas aliquid coacte vel violenter velit, si aliquid naturali inclinatione velit » (1). Quod autem actus imperati a voluntate possint violentiam pati, hoc est evidentissimum; ut si quis contra suae voluntatis inclinationem ab externo agente impeditur, quominus sedeat vel surgat. Immo ipsa operatio intellectus potest esse contra inclinationem voluntatis; ut cum alicui placeat aliqua opinio, sed propter efficaciam rationum impellitur ad assentiendum contrario per intellectum (2).

**Scholion.** Sicut voluntas naturaliter et necessario appetit finem ultimum seu beatitudinem, ita naturaliter et necessario appetit quaedam bona quae sunt fundamentum beatitudinis, nimirum esse, vivere, intelligere. Hoc autem inter beatitudinem in genere spectatam et huiusmodi bona interest, quod absolute et intrinsicus repugnat non appetere beatitudinem, cum ex adverso memorata bona possint per accidens non appeti ab eo, qui perverse admodum, et contra ipsam naturae vocem illa iudicaret suae felicitati inimica, utpote suae miseriae causas. Sic contingere videmus in quibusdam, qui in desperationem acti sibiipsis violentas manus inferunt, vitamque adimunt. Nihilominus appetitus humanae voluntatis adversus ista bona quibus homo se privat, omnino dicendus est naturalis, cum non per se, sed per accidens deficiat. Eodem ferme pacto, quo appetitus naturae ad generandum sibi simile in specie, necessarius sit et ad unum terminatus, tametsi interdum per accidens gignantur monstra. Immo si quis acutius rem consideret, videbit profecto, ipsum actum humanae voluntatis mortem prae vita eligentis, ortum ducere a naturali et necessario amore hominis erga seipsum, cum intrinsicus repugnet, agens voluntarium posse odio sui ad aliquid volendum impelli, idest seipsum odisse. Siquidem in ipso *velle* haeret infixus et inseparabilis amor sui, cum *velle* seu actus voluntatis sit appetitus finis seu boni convenientis, ideoque ita volumus esse felices, idest nos amamus, ut infelices nullo modo velle esse possumus, idest nos odisse. Huiusmodi terminationem delectumque rerum acute simul et pereleganter persequutus est Tullius inquires: «Qui potest cogitari, esse aliquid animal quod se oderit? Res enim concurrent contrariae. Nam cum appetitus ille animi aliquid ad se trahere coeperit consulto, quod sibi obsit, quia sit sibi inimicus, cum id sua causa faciet, et oderit se, et simul diligit; quod fieri non potest... Neque enim si nonnulli reperiuntur, qui aut laqueos aut alia exitia quaerant,

(1) QQ. DD. De ver. q. 22, a. 5.

(2) Cf. S. THOM. ibidem ad 3; cf. etiam a. 8, ubi inquiritur, an Deus possit cogere voluntatem.



aut, ut ille apud Terentium, qui decrevit tantisper se minus iniuriæ suo gnato facere, ut ipse ait, *dum fiat miser*, inimicus ipse sibi putandus est. Sed alii dolore moventur, alii cupiditate; iracundia etiam multi efferuntur, et cum in mala scienter irruunt, tamen se optime sibi consulere arbitrantur » (1).

## SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

**Oppon. 1.º** Appetitus rationalis seu voluntas dividitur contra appetitum naturalem. Atqui appetitus naturalis est inclinatio necessaria et determinata ad unum. Ergo voluntas non inclinatur ad aliquid necessario appetendum, ideoque nihil vult necessario.

**Resp. Dist. mai.** Voluntas dividitur contra naturam, quia habet aliquem modum peculiarem causandi, qui non competit naturæ, *Conc.* Quia nunquam causat ut natura, *Neg. Conc. min. et Neg. cons.*

**Explico.** Licet voluntas elevetur supra simplicem naturam, ideoque habeat aliquem modum causandi, qui naturæ minime competere potest, uti dirigere suam inclinationem potius ad hoc, quam ad illud: nihilominus cum voluntas in natura fundetur, necesse est ut proprius modus naturæ in causando secundum aliquid participetur a voluntate; quia quod est proprium prioris causæ participatur a posteriori, si posterius in priori fundatur. Quare voluntas cum in aliquo communicat cum simplici natura, ad aliqua inclinatur naturaliter; cum autem in aliquo differat a simplici natura, nempe in eo quod sit appetitus rationalis consequens cognitionem intellectus, ad aliqua inclinatur diverso modo ac natura, idest contingenter, habens in sua potestate propriam inclinationem. Sic voluntas per hanc posteriorem appetendi rationem distinguitur a natura, minime vero per priorem. Paucis sic S. Thomas propositam difficultatem enodat: « Voluntas dividitur contra appetitum naturalem cum præcognitione sumptum, idest qui est naturalis tantum; sicut homo contra id quod est animal tantum; non autem dividitur contra appetitum naturalem absolute, sed includit ipsum, sicut homo includit animal » (2).

**Oppon. 2.º** Secundum voluntatem sumus domini nostrorum actuum. Atqui non sumus domini eius quod fit ex necessitate. Ergo actus voluntatis non potest esse necessarius.

**Resp. Dist. mai.** Voluntas est domina suorum actuum circa ea, in quibus possibilis est electio, *Conc.* Circa ea in quibus non potest eligi potius hoc, quam illud, *Neg. Conc. min. et Neg. cons.*

**Explico.** Voluntas iure merito dicitur domina suorum actuum; sed hoc dominium porrigitur solummodo ad quasdam appetitiones,

(1) *De finibus*, lib. V, cap. X.(2) *QQ. DD. De ver. q. 22, a. 5 ad 6 in contrarium.*

minime vero ad omnes. Dominium quippe nec intelligi nec cogitari in voluntate potest, quin voluntas intelligatur posse unum eligere et amplecti prae alio. Porro electio versatur circa ea, quae sunt ad finem, non autem circa ipsum finem; et consequenter appetitio ultimi finis non potest subici dominationi voluntatis.

**Oppon. 3.º** Potentiae rationales se habent ad opposita. Atqui voluntas est potentia rationalis. Ergo non potest aliquid velle necessario.

**Resp. Dist. mai.** Potentiae rationales se habent ad opposita, secundum quod respiciunt principia, et dicuntur intellectuales, *Neg.* Secundum quod respiciunt conclusiones, et presse dicuntur rationales, *Conc. Contradist. min.* Voluntas est potentia rationalis, idest correspondet rationi, in iis quae sunt ad finem, *Conc.* Est rationalis relate ad finem, *Neg. et Neg. cons.*

**Explico.** Cum voluntas consequatur cognitionem intellectus, quandoque dicitur rationalis stricto sensu, quando assimilatur intellectui ratiocinanti, qui proprie dicitur ratio; quandoque dicitur rationalis latiori sensu, idest intellectualis, quando assimilatur intellectui percipienti principia immediata. - Cum vero in operativis ultimus finis sit primum principium movens, voluntas quae versatur circa ultimum finem est omnino determinata ad unum, sicut intellectus cognoscens prima principia immobiliter se habet, neque ipsi integrum est declinare ad oppositum (1).

**Oppon. 4.º** Iuxta S. Augustinum (*De Civ. Dei*, lib. V, cap. X), si aliquid est necessarium, non est voluntarium. Atqui omnis appetitio voluntatis est voluntaria. Ergo voluntas nihil appetit necessario.

**Resp. Dist. mai.** Iuxta S. Augustinum si aliquid est necessarium necessitate coactionis et violentiae, non est voluntarium, *Conc.* Necessitate naturalis inclinationis, non est voluntarium, *Neg. Conc. min.*

**Explico.** Duplex, uti vidimus, secernenda est necessitas, alia procedens a causis intrinsicis, quae vocatur naturalis; alia dimanans ab agente extrinseco, quae appellatur coactionis vel violentiae. Prima minime opponitur voluntario; secunda ex adverso voluntarium perimit. Tam vero S. Augustinus de hac secunda loquitur, quemadmodum ipsemet testatur in eodem libro.

**Oppon. 5.º** Id quod est naturale alicui, semper ipsi inest. Atqui nullus motus seu appetitio semper inest voluntati. Ergo voluntas nihil necessario et naturaliter appetit.

**Resp. Dist. mai.** Id quod est naturale, et consequens formam seu actum, semper inest, *Conc.* Si consequitur materiam seu potentiam, *Subdist.* Semper inest, absolute, *Neg.* Posita determinata dispositione, *Conc. Dist. min.* Nullus motus semper inest, si voluntas

(1) Cf. S. THOM. 1 p. q. 82, a. 1 ad 2.



non est in determinata dispositione, *Conc.* Si ponitur in determinata dispositione, *Neg.* et *Neg. cons.*

**Explico.** In difficultate latet quaedam acquivocatio. Nam aliquid potest consequi naturaliter aliud, vel ratione formae seu actus, vel ratione materiae seu potentiae. Si aliud consequitur ratione actus, tunc posito priori, semper et necessario consequitur posterius; sed si aliud consequitur ratione potentiae, tunc posterius habetur tantummodo, quando potentia invenitur in determinata dispositione. Hoc locum habet tum in illis quae spectant ad naturam inanimam, tum in motibus procedentibus ex voluntate, quae cum sit in potentia volens, non semper est in actu volendi etiam quae naturaliter vult; sed solum cum movetur per bonum apprehensum. Voluntas Dei e contra, quae est actus purus, semper est in actu volendi (1).

**SCHOLION.** Intellectus et voluntas ad invicem conferuntur. Cum voluntas sit potentia animae, quae oritur ex virtute intellectiva, et eius actio idest appetitio operationem intellectus necessario subaudiatur, iuxta illud effatum sermone tritum et pervulgatum: *Nihil volitum quin sit antea praecognitum*; sponte occurrit duplex comparatio inter intellectum et voluntatem. Prima instituitur ad patefaciendum, quatenam ex duabus potentiis sit nobilior praestantiorque; secunda explanat, an et quo pacto intellectus et voluntas ultro citroque se moveant ad operandum. Qua in re S. Thomae Aquinatis doctrinam breviter et dilucide sub oculis ponere conabimur.

Et primo quidem affirmandum omnino est, intellectum absolute et simpliciter esse nobiliorem perfectioremque voluntate; licet per accidens et secundum quid voluntas intellectui praestet. Quod ita effici concludique potest. Obiectum intellectus est simplicius, abstractius, et magis absolutum, quam obiectum voluntatis; nam obiectum intellectus est ipsa ratio boni appetibilis; bonum autem appetibile, cuius ratio est in intellectu, est obiectum voluntatis: quanto autem aliquid est simplicius et abstractius, tanto secundum se est nobilior et perfectius. Iam vero propria ratio alicuius potentiae per se et simpliciter dimetienda est ab ordine ad suum obiectum. Ergo intellectus per se et absolute praestantior nobiliorque est voluntate. Nuper exposita ratio exinde illustrari, confirmarique potest, quod illud quod simpliciter, absolute, et secundum naturae ordinem antecedit, semper est nobilior et praestantius, et hoc in sensu actus est perfectior potentia. Iam vero intellectus est prior voluntate, ut actus et eius causa motiva. Intellectus ergo absolute et simpliciter est facultas nobilior excellentiorque voluntate, quae ex intellectu naturali consequentia dimanat.

(1) Cf. S. THOM. 1-2, q. 10, a. 1 ad 2.

Quod si comparatio intellectus et voluntatis non sumitur ex essentialibus utriusque facultatis, sed ex illis, quae sunt ipsis accidentalibus, nempe per ordinem ad alterum, tunc intellectus interdum invenitur inferior, interdum superior voluntate. Sic si obiectum utriusque facultatis est res aliqua sensibilis et infra animam posita, tunc intellectus intelligens sensibilia est omnino nobilior digniorque voluntate sensibilia appetente. Sin contra utriusque obiectum sit aliquid supra animam positum, tunc voluntas altior perfectiorque est intellectus. Quocirca in praesenti statu in quo anima non cognoscit Deum, nisi per res sensibiles, melior est amor Dei, quam cognitio; contra melior est cognitio rerum corporalium, quam amor (1).

Ad secundam quaestionem quod attinet, nemini dubium esse potest, quin intellectus moveatur voluntatem, et vicissim voluntas moveatur intellectum; sed aliter et aliter, nempe in duplici genere causae plane diverso. Intellectus quippe voluntatem movet ad modum finis, quia bonum intellectum est obiectum voluntatis; et obiectum facultatis appetitivae ad ipsam comparatur ut finis. Voluntas ex adverso movet intellectum ad modum agentis, quia in potentiis activis ordinatis illa potentia, quae respicit finem universalem, movet potentias, quae respiciunt fines particulares. Hoc illustratur exemplo, quod ducitur ex politicis. Rex quippe, qui prospicit communi totius regni bono, movet suo imperio singulos civitatum moderatores, qui bono singularum civitatum consulunt. Iam vero obiectum voluntatis est bonum et finis in communi: ex adverso quaelibet potentia comparatur ad bonum proprium sibi accommodatum, sicut sensus ad perceptionem sensibilis, intellectus ad cognitionem veri. Ergo voluntas per modum agentis movet ad suos actus cunctas animae potentias, si vires naturales vegetativae partis excipias, quae nostro minime subduntur arbitrio.

**Praeoccupatur duplex difficultas.** Primae difficultati, quae sponte se offert, nimirum quomodo vitetur processus in infinitum, si intellectus movetur a voluntate, et voluntas ab intellectu, occurrimus affirmando, ad quemlibet actum voluntatis esse necessariam motionem intellectus, cum voluntas sit appetitus boni apprehensum per intellectum; minime vero ad quemlibet actum intellectus esse necessariam motionem voluntatis, quia actus intellectus quandoque anteverit actum voluntatis; et intelligimus, non quia volumus intelligere, sed quia intellectus a proprio obiecto naturaliter sibi occurrente determinatur ad proprium actum. Hinc verum est illud effatum: *Nihil volitum quin praecognitum*; sed contra neque est, neque esse potest verum effatum oppositum: *Nihil cognitum, quin prius volitum*. Merito ergo S. Thomas nodum dissolvit inquis: « Non oportet procedere in in-

(1) Cf. S. THOM. I p. q. 82, a. 3; *QQ. DD. De ver. q. 22, a. 11.*



finitum, sed standum in intellectu, sicut in primo. Omnem enim voluntatis motum necesse est, quod praecedat apprehensio; sed non omnem apprehensionem praecedit motus voluntatis » (1).

Ad aliam vero difficultatem exinde ductam, quod movens sit nobilior moto, ideoque voluntas movere nequeat intellectum, cum sit ipso inferior, respondemus in medium afferendo varios rerum delectus et terminationes, et conferendo simul utriusque facultatis perfectionem et dignitatem. Nam, uti eleganter et profunde disserit S. Thomas, intellectus considerari potest, vel ut est cognoscitivus entis et veri universalis, vel ut est quaedam res et particularis potentia habens determinatum actum. Pari modo voluntas spectari potest, vel ut est appetitiva boni communis, vel ut est determinata quaedam facultas habens determinatum actum. Tam vero, posthabitis aliis comparationibus, si voluntas spectatur secundum communem rationem sui obiecti, quod est bonum, intellectus ex adverso secundum quod est quaedam res et peculiaris potentia, tunc sub communi ratione boni continetur, ut quoddam bonum speciale, tum intellectus ipse, tum ipsum intelligere, tum eius obiectum, quod est verum. Secundum hunc respectum voluntas est nobilior altiorque intellectu, et consequenter potest ipsum movere. Hinc elucet, cur huiusmodi potentiae suis actibus mutuo se includant: nam intellectus intelligit, voluntatem velle; et voluntas vult, intellectum intelligere. Sic bonum continetur sub vero in quantum est intellectum; et verum continetur sub bono, in quantum est desideratum (2).

### ARTICULUS III.

DE ACTIBUS LIBERIS VOLUNTATIS, SEU DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO.

**CONTINUATIO RERUM.** Doctrina a nobis in superiori articulo enucleatius tradita de necessario motu voluntatis erga bonum perfectum, quod habet rationem finis, cuius adeptio hominis beatitudinem constituit, expeditam paravit viam ad aliam magni momenti quaestionem ingrediendam. Argendum quippe nobis est de motibus liberis et contingentibus voluntatis erga bona particularia et imperfecta, quae non habent rationem extremi et finis, sed dumtaxat mediorum ad finem, ideoque expetuntur per ordinem ad finem, propterea quod apprehenduntur ut ducentia ad finem seu ad beatitudinem. Quam

(1) I p. q. 82, a. 4 ad 3.

(2) Cf. S. THOM. loc. cit. ad 1; QQ. DD. De ver. q. 22, a. 12; praesertim QQ. DD. De malo, q. 6, a. unico.

ad rem agitanda nobis occurrit quaestio de libertate humanae voluntatis, seu de libero hominis arbitrio, et inquirendum: 1) utrum humana voluntas aliquid velit et appetat non necessario, sed libere, vel aliis verbis, an in voluntate existat libertas arbitrii; 2) quaenam sit proxima causa et ratio huiusmodi appetitionum, quae libere nominantur, et ad quaenam bona prosequenda se porrigant.

Quaestio itaque in duas tribuitur partes, quarum prima statuit, in voluntate humana existere actus liberos, seu hominem in iis appetendis, quae referuntur ad ultimum finem, pollere libero arbitrio; altera disserit de natura et causis istius perfectionis, quae in appetitu rationali dumtaxat reperitur. Prima quaestionis pars tam aperta est, et omnibus perspicue et per se cognita, ut serio in dubium revocari minime possit, cum quisque sibi conscius sit, se quaedam libere prorsus velle, ita ut si quis contra dicere velit, non audeat. Quare minime opus est exquisitis rationibus ad confirmandum id quod per se notum est et ab omnibus sentitur: tantum satis est uti mediocri animadversione seu admonitione, ut res prompta et illustris iudicetur. Secunda ex adverso quaestionis pars difficile admodum habet explicatus, cum sit maxime occulta et involuta, ideoque ad argumenta subtillesque conclusiones rationis recurrendum est, ut eius causae rite determinentur, eiusque natura et propriae passionis et assignentur accurate, et ab adversariorum fallaciis et captionibus vindicentur.

Ut ergo ordine ac via procedamus in hac quaestione, quae latius serpit utpote fundamentum universae moralis philosophiae, et simul semitam omnem praeccludamus adversariis veram electionis optionem, arbitriique libertatem subvertere conantibus, duo a nobis praestanda erunt; videlicet tum ostendendum, in nostra voluntate esse liberas appetitiones et actus, tum assignandae rationes quamobrem res ita habeat. Cum autem ad omne de quo disceptatur adhibenda sit definitio, ut possint facilius dissolvi captiosae, et distingui ambigua, antequam propositionem demonstrandam statuamus, nonnulli conceptus veniunt declarandi, partitionesque in medium afferendae.

**Definitio libertatis inquiritur.** Si prima nominis significatio spectatur, libertas denotat immunitatem a servitute; hinc liberi nuncupantur homines, qui servituti non sunt obnoxii. Sed hoc vocabulum translatum est ad significandam libertatem humanae voluntatis, quae est immunitas a necessitate in appetendo seu volendo, ita ut, cum voluntas aliquid appetat, integrum ei sit illud non appetere; et huiusmodi immunitas a necessitate dicitur etiam *indifferentia*.

**Duplex indifferentia.** Cum indifferens seu contingens illud dicitur, quod non est determinatum ad unum, indifferentia potest esse duplex; altera *passiva*, et denotat potentiam recipiendi determinationem ab alio; altera *activa*, et est vis, quae aliquid ens pollet determinandi seipsum, seu exeundi ex indifferentia, et ponendi operatio-